

6

HC 1133.

JOHANNIS STEINMETZ I
S E C U N D I Hermunduri, Poëta Laureati
Cæsarei,

LESSUS MOR- TUALIS

Super obitu

Reverendissimi Principis ac Domini

D. JOHANNIS PHILIPPI &c.

ELECTI ET CONFIRMATI

Bambergensium Epi-
scopi &c.


Qui placidè in CHRISTO obdormivit 26. Junii, Anno
Infulatae Mortis

M, D. C, IX.



Seneca lib. i. de brevitate vite.

Vivere totâ vitâ discendum est; & quod
magis fortasse miraberis, totâ vitâ
discendum est mori.



ACROSTICHIS
LVGVBRIS,

Ingenii si fertilitas, si virida virtus,
Omnia si possent animi bona signa pientis
Horribilem edura rabiem compefcere Mortis:
Aut si nobilitas proavorum Fata fugaret,
Non Tu, JANE-PHILIPPE, Ducum celeberrime Princeps
Non inquam, antè diem tenuem mutat us in umbram,
Effès, innumerà at Virtutum laude coruscans,
Suspiciendus amore, merà bonitate colendus,
Per nubes caput ad celi ardua sidera ferres.
Heu dolor! Ergone Mors fera salx Tua principem onustum,
Ingenio, Virtute, Arte, & Sapientiâ ademit,
Luctumque & lacrumas annisa ciere clientum est?
Ingemuit Celum, & quasi Terra debiscere visa est,
Pra nimio marore: Minerva, novèmq; Sorores,
Phœbus cum Charisyn, generosa Modestia, Pichò,
Virtus, Diquè DEÆquè omnes, quos carmina Vatum
Subsidium poscunt, multumque ubicunque celebrant,
Evulsisque comis, guttisque per ora volutis
Perstant ad phœretum querulos deducere versus;
Ipsa super Pietas sedet, & defessa querelis
Seu caput attollat, Seu alto velamine condat,
Cor ferit (ah quoties?) tristissima verba frequentans,
Ocolumen meum! & ô mea gemmula JANE PHILIPPE,
Pro quo animam ipsa meam meritò profundere vellem,
Vè Te suspicio? ut Tua me tristissima Fata
Sauciam & expertem vegetantis sanguinis eheu!

B albu-



B albutire jubent, & singultire frequenter?
 A h Mors; ah fera Mors! Mihi sic? Mihi siccine es ausa
 M elrapuisse meum, mea gaudia, & omnia grata,
 B A M B E R G Æ còlumen, pede supplantare cruento?
 E xtat & ad tumultum numerosa caterva Clientum,
 R uptans, dilanians que comas, interque ululatus
 G loriam ad astra vehens tam animosi Principis, infit,
 E cquis subsidio est nobis dehinc ergò futurus;
 N on si Jupiter ipse poli descenderet arce:
 S ivè alius, tantum prestaret JANE PHILIPPE,
 I gnigena quantum poterant Tuae acumina mentis.
 S iliceat, Mortem hanc vellemus morte pacisci!

Symbolum.

Laudatissimi p. m. Dn. Episcopi.

SPERO POST FVNERA VITAM;

S Ymbolon hoc tuum erat, SPERO POST FVNERA VITAM;
 JANE PHILIPPE sacri gloria summa PEDI.
 Et bene sperasti, nec Te spes ista fefellit:
 In DOMINO vitam, qui benè sperat, habet.
 Disce homo Christjane hoc exemplo dicere semper,
 POST OBITVM SPES EST VITA BEATA MIHI.



LESSUS MOR-
TUALIS.

R Abida violentia Mortis
 Fatalia stricula torquet,
 Juvenumq; virumq; senumq;
 Abrumpere stamina perstat.
 Prece nec rutilante metallo
 Mitescit, at effera terras,
 Maria, alta cacumina, turres,
 Ipsasq; penetrat abyssos.
 Cineres velut abripit aura:
 Citius vel serius atro
 Ita Mors fera funere vitam,
 Hominum rapit annihilatq;
 Quid gloria vana? quid aurū?
 Quid splendida tecta domorum?
 Que tecum auferre negatum est:
 Cum Mors volet ibis inanis.
 Quam mox Fati imminet hora
 Audis geminare propinquos
 Bis terq; quaterq; valeto!
 ô Mortis præda valeto!
 Tua quos mensa ante sodales
 Aluit, fugient, & abibunt:
 Socio desertus ab omni
 Lethes ad flumina tendes.
 Vegetus quam fervidè amasti
 Virtus, Te sola sequetur,
 Tumulum & properabit ad unum,
 Heres vix plura relinquet.
 Macies in corpore toto
 Orietur, in orâ migrabit

Pallor, Tua lumina stabunt,
 Fractis immota vitellis.

Cor curis undiq; pressum,
 Gemet, anxietudine pulsus
 Cessabit Spiritus, & vox
 Formidine fracta dehiscet.

Rosus decor ille peribit,
 Torpebit venula, sudor
 Per membra trementia curret,
 Quando dolor ossibus heret:

Qui Te prius instar ocelli
 Deamavit, is heret, & horret:
 Qui Te modo jussit habere,
 Te nunc jubet ille valere.

Qui limina sapius antè
 Visit Tua, nunc pede raptò
 Ea præterit, haut secus ac si
 Serpens latitaret in illis.

At te thalamus miserandus
 Plorantem & acerbâ gementem,
 Inter suspiria habebit,
 Vita quibus acta revolvit.

Mox fœtor, ab exanimato
 Prodiabit corpore, & auras
 Vitiabit, pestis & instar
 Consortia tota fugabit.

Stomachans, qui cominùs ibit,
 Nares premet oraq; forti
 Digito, aut velamine densò,
 Dicens, proh Turpe Cadaver!

Tandem

Tandem hinc vetus incola cede,
Tandem hinc gravis incola cede!
Foveam Tibi quere Cadaver,
Me terres pallida Larva.

Dicto hoc Tibi fossa parata est,
Quà Te fert bajulus ajens:
Rex hac es in arce, deinceps
Rumpet Tibi nemo soporem.

Solamina posthuma habebis,
Quando viduata viro uxor,
Subolesq; orbata parente
Emittent flumina ocellis.

Tamen hac lux unica prorsus
Siccabit flumina: cernet
Lux postera lumina clara
Risusq; jocique referta.

At tu fœtente Sepulchri
Rigidi concluderis antro,
Nec fas Te velle reniti
Hanc legem nemo migrabit.

Hac Te sub mole morantur,
Vermes, Bufo atq; Colubra.
Hac aulica turba futura est,
Domini saturanda medullis.

Hac in Tua brachia serpet,
Hac Te dignabitur osculis,
Satiabis dapilis istam,
Sed Symbola nulla sequetur.

Hac transeat ossa, medullas
Hac quæret in ossibus imis.
Bufo, Seps, Vermis inemto
Poterunt se pascere voto.

Non longus stebitur indè
Pullatis Lessus amicis,
Vix è tot millibus unus
Mœrens Tua fata, gemiscet.

Atrati, morè, frequentes
In pompam, funeris ibunt,
At pallia nigra gementium,
Vix septima Luna videbit.

Quàm mox tumulatus es, ibunt,
Lingua & trepidante vorabunt:
Benè sit Tibi semper: Arena
Sit nunquam onerosa sepulto!

Mille inter gaudia Natus
Absumet cacuba, pinguis
Quando in scrobe dente vorace
Tua viscera bufo vorabit.

Postquam verò indè rediit
Circumfluis annus in annum,
Caro, cum cute, pilus, ocelli
Olido periere sub antro.

Tendens hac fortè viator
Cranium atq; hac ossa stupefiet
Tum fies fabula, & ille
Quæret, quis calve fuisti?

Nec tantùm deperiere
Caro, cum cute, pilus, ocelli:
Cum istis quoq; famigerati
Dilapsa est nominis umbra.

Nemo hoc, puto, in Orbe vigebit,
Cui scire aut dicere fas sit,
Homini quà luce vel horâ
Mortis fugienda potestas.

Mors quâdo inopina propè ades
Defertur, & ostia pulsat:
Portæ, postesq; seræque
Convulsæ spontè resultant.

Nulli Mors parciit honori,
Nulli Mors parcere flori
Didicit; juvenesq; Senesque
Indiscretè eripit omnes.

Mors imperterrita semper,
Neg, vim neg, pralia curat.
Regum sceptrâ, atq, potentum,
Æquo pede conterit arma.

Non arx hic marmore factis
Fuerit suffulta columnis,
Pressâ exiguâq, sub antro
Rex ipse cubabit in arcâ.

Scandenda hîc cochlea nulla est,
Tecto incumbente prementur
Nares, Homo quisquis es, audi,
Tecum, quæ concino, pensa.

Hic nemo erit anteferendus,
Ius & Mos omnibus idem:
Majestas Regia, & Irus
In eodem limine degent.

Hac fini scilicet ipsâ
Stat Regum arctata potestas,
Pro casto nempe labore,
Hæc merx, hæc præmia dantur.

Quis gentes ergò deinceps,
Et quis moderabitur urbes?
Quis prædâ, & aurea gæza,
Lucrabitur ista talenta:

Regni sceptrum alter habebit,
Vacuâ & regnabit in aulâ,
Hæredum è pulvere terra
Te nemo resurgere mallet.

Fuit extruxisse voluptas
In monte vel æquore turres?
Fervens has dirimet hæres,
Imag, æquabit arena.

Tu regno pulsus & auris,
Rigidi sub mole sepulchri
Vermi ludibrio es omni,
Et rixa gulosa Colubris.

Tenuem quando ergò Cadaver,
Fueris mutatus in umbram,
Vbi sis, quid agasve propinquum
Te nullus (crede) rogabit.

Vox est trivialis, & ipsis
Brutis quoque cognita; Quantum
Secesserit ore Sodalis,
Tantum quoque pectore cessit.

Candorem quisq, & amorem,
Et si quæ plura decebunt,
Tumulum Tecum sub eundem
Fodiet, saxoq, notabit.

Væ, væ Tibi! væ Tibi! Quisquis
Fluxas has diligit umbras,
Hæc sunt deliria vana
Vnâ peritura sub horâ.

Suspensio Mors fera motu,
Obrepat furis ad instar,
Et quâ non credere velles
Te supplantabit in horâ.

Notentem Te atq, volentem
Ducet, quascunq, sub umbras
Fugies, properata sequetur,
Nullis abigenda medelis.

Nocuo medicata veneno
Vibrat sua spicula, vulnus
Quibus immedicabile figit,
Quàm mox Te tangit, eundem est.

Nullis via acerbæ quænelis,
Nullo redimenda precatu est;
Surda est Mors. Dum licet ergò
Hæc damna propinqua caveto.

Heu spurca, heu sordida massa,
Multo heu caro tabida verme,
Quor larvis, quorve cachinnis
Es ludificata popellos?

Quor-

*Quotquot Tibi, fallere docta,
Credunt, ratione carentes
Fallunt se spontè suâ ipsos,
Nec habent in corpore pectus.*

*Fidant, quis fidere melli est,
Fidant Tibi dico, videbunt
Pœnas, quas non sinè damno
Pro credulitate subibunt.*

*Trudentur, pròh dolor! illi
Ad Tartara nigra, ubi Ditis
In sulphure, & igne coquentur,
Ab cui Venus illa placeret?*

*Forsan Tibi lux hodierna
(Incerta ut funeris hora est)
Suprema minatur, & ante
Quàm transit Tu quoque transis.*

*Ne surdis auribus assta,
Noli ludibrio habere
Quæ præmoneo ô Homo. Virtus,
Virtus Tibi sola colenda est.*

*Longos quam-plurimus annos
Vita sibi præcipit, At Mors
Redens hæc irrita vota
Hunc ocyùs eximit auris.*

*Et quis scit? fortè vigentem
Inter sua gaudia, præ quàm
Sol Hesperias it ad undas
Lethes detrudet in amnem.*

*Ergò ô mens, mens mea, semper
Vigili in statione maneto,
Et Te ad fatale duellum
Noctèsque dièsque parato.*

*Vt quàm regione vel horâ
Mors appropaverit, & Te*

*Ad mutua bella vocarit
Tibi multum audacia crescat.*

*Vt tendas impete forti
Fidente & pectore in hostem,
Et cominus arma ferendo
Planè imperterrita dures.*

*Et quanquam vita recisa
Fuerit Tibi. Nil nocet. Ecce
Vita potière coronâ,
Dignâ hoc certamine palmâ.*

*Quicquid fert Terra, quid unda,
Quid & aura profundit, id à Te
Sperne. Vnum adamato potenter,
Qui condidit omnia, ¶ O V A M.*

*In lucro, si quid in Orbe hoc
Perdas fortasse, reponè,
Quorsum lacrumare? Meis hæc
Curis indigna putarem.*

*Numerum transcribe dierum,
Corpusq; animamque Tonanti,
De Te qua fecerit ille
Placeant Tibi. Tu omnia suffer.*

*Tuto (mihi crede canenti)
Tibi sic demum esse licebit.
Clypeo aut munimine verâ
Cum Te teget ille Salutis.*

*Qui primò hanc carminis oden
Facili est modulatus avenâ,
Tacito secum ille subindè
Voluit sub pectore Mortem.*

*Etiam post Mortis agonem
Plebejà, conditur urnâ.
Tibi consule Lector amice,
Hodiè aut cras fortè sequeris.*



TVMVLVS.

Quis jacet in tumulo hoc? quarebam: Tum in sit Apollo,
Ipsa dolor! Probitas, hic jacet, & Pietas.
Nec mirare DEAS gelido hoc latitare sub antro,
Quippè PHILIPPE TVum est utraque mancipium,
Quà Dominus latitat famulas latitare necesse est:
Mortuum ut hunc, vegetum quem coluere, colant.
Aspera sunt TVa fata quidem. At Tibi vita beata est,
JANE PHILIPPE Solo, JANE PHILIPPE polo.

